

Laus tua septenis titulis iam crevit amenis:
 Fac quod et effrenis rex ille Bohemus habenis
 Orbatus plenis ablata refundat egenis.

Winna tuum fanum fallit, tua somnia sanum
 Celant archanum, videt et tua visio vanum.
 Regem Romanum spernis, quod crede profanum.
 Huic superne ¹⁾ manum: dabitur tibi copia panum,
 Ne murum planum det bellum cottidianum
 Et feriat canum flavum iuvenem veteranum.

Winna tui ²⁾ Sclavis est muri tradita clavis.
 Hoc tibi culpa gravis, quod stare recondita mavis,
 Quam quod eas ut avis in terra libera quavis.
 Complicibus pravis timor est pereat tua navis:
 Nec tibi nec proavis fuit aura Bohemica suavis.

Winna nec evades nec turba Bohemica clades:
 Si te non trades, ense fameque cades.
 Nescio quo vades, si bella Bohemica suades,
 Quidquid agant pliades, captaque tristis ades.

Winna scies quanti sit Roma tributa neganti:
 Est pro constanti, quod bella movere giganti
 Romae regnanti, non est tibi tybia tanti.

Iudicio veri nec pontifices revereri
 Vult rex nec cleri ius ecclesiasve tueri,
 Et quae fecit heri, cras irrita mandat haberi.
 (Ergo potest queri rex alter et hic removeri ³⁾.)
 Per multasque vices fovet ille ministeriales
 Contra pontifices et leges pontificales.
 Olim precessit omnes mitra pontificalis:
 Hec modo secessit premit hancque ministerialis,
 Pontificesque satis se contemni paciuntur
 Dum nimis et gratis regalia castra sequuntur.

1) susterne? W. 2) tuis Hs. 3) Von anderer Hand am Rande.
 Es scheint freilich ein vierter Vers der Strophe zu fehlen, aber dieser unterbricht den Zusammenhang.
